

In Figura secundo loco posita, folia in ramis sunt bina ex opposito, sed in ramo toto sunt septem, eo ordine quo in Lentisco, sed magnitudine Aurantij. bacca etiam rubra ipse trunco adnata, quae magnitudine Pisum aequant. An ad sequentem pertineat descriptionem cogitandum, praesertim cum idem nomen tribuat.

De COPALTIC, seu arbore fundente gummi simile COPALLI. Cap. XX.

EXCELSA arbor est Copaltic leuis, epidermide cuticulari superne vestita, quae suapte natura desquamatur, unde nomen. Ocymi folijs, fructu Oxycanthae paulo maiori, primo viridi, ac tandem coccineo. Resinam haec fundit arbor candidam, & paulisper odoram, sed modicam. Nascitur in calidis locis montosisq. Texahuaci. sunt qui Tac Quahuixioll vocant. Cortex ligni calidus est ordine secundo, odor, & grati saporis, non sine siccitate, & amaritudine quadam. Gummi illud calidum apud Mexicanos circumfertur, habeturq. maximi in compescendis dysenterijs. Ex hac stillans arbore resina est, quae ex aqua deuorata, ubi statim in lac soluitur, vnius oboli mensura, aut per se solum, aut permixta Copalli, sistit dysenterias, & sanguinem vndecumque manantem cohibet. Vitandum est tamen auctius pondus.

De TZINA CANCVITLA QVAHVITL, seu arbore ferente gummi simile stercorei vesperilionum Laccifera. Cap. XXI.

Chaparral.
Mimosa
Laccifera
Mimosa
Mimosa



TZINACANCVITLA Quahuil, gummi est, quod Laccam officinae vocant. decidit ex arbore incondita, ac mediocris magnitudinis, quae folia fert Mizquiel, seu exilia, pennas auium imitantia; breuia, tenuia, ex vtraque parte ramorum serie quadam procedentia. stipites, ac ramos purpureos, obrectos gummi, quod diximus, nequaquam a formicis elaborato, ut quidam per incitiam putant, sed ab ipsis arborum ramis vndecumque stillante, & eisdem veluti tubuli quidam adhaerescente. Nascitur in calidis, qualis est ager Huatepecensis, & Huahuahuacensis, ubi sunt qui Huelipatim, & Quahuixibuitl vocent. et si in nonnullis, Indiae orientalis, locis ortum ducit, varijsq. ibi nominibus nuncupetur. De eius viribus Arabes rogentur, ne nos rursus dicta dicamus in tanta temporis parruria, & rerum describendarum copia.

Illud

Illud etiam notum est, admixta resina, massam ex eo gummi parari quam Laccam corrupta dictione vocant, signandis literis, alijsq. Ichedis apertissimam, addita vero his arena crassiuscule trita, percoctisq. omnibus in placentulam cogi, quae admota igni est vestigio emollefcatur, perfrigerata vero eam duritiem ac firmitatem contrahat, quae ferrum, lapides, & gemmas exedat, rumpatque, quod nos experimento cognouimus.

Folia huius arboris conseruntur folijs Acatiae Aegyptiae, rami ipsi sunt purpurascetes, & Lacca quasi nigra ramis adheret.

Laccam arborem Acola c. 8. folio Pruni scribit se ex aliorum relatione intellexisse, id quod parum haec nostra congruit. Unde vel male obseruatum ab ijs qui parum huic rei stud. bant, vel alterius erit generis.

Vanum esse nomen quod Lacca a formicis elaboretur ex auctore nostro patet, unde licet alicubi formicae in ea reperiuntur, non tamen argumentum est sufficiens huius operis. praesertim cum videamus & nostras formicas congerere potius frumenta, Muscas, & similia, quam aliquid apibus simile elaborare.

De EZ QVAHVITL, id est sanguinis Arbore. Cap. XXII.

ARBOR magna est Exquahuil, folia ferens Verbasci, ampla, & angulosa, sanguine stillans, quem vocant Draconis, unde euenit ei nomen. est enim Exquahuil sanguinis arbor. Prouenit Quahuixinanci. vis autem huius succi frigida est atque adstringens. corroborat dentes, fluxiones sistit; denique vim omnem, similitudinem, ac effectus eosdem praestat, quos sanguis Draconis nostri vsus, qui a Draconibus Fortunatarum colligi solet, de quibus, alijsq. Fortunatarum arboribus seorsum fortasse dicemus.

Arbor haec secunda eleganter a Clusio descripta est initio suarum observationum, ubi eam Draconem vocat. quam etiam Pisis extare audio in Horto Serenissimi Magni Etruriae Ducis.

De EZ QVAHVITL secunda. Cap. XXIII.

OFFENDI etiam apud Quahuahuacenses agros, qui pertinent ad Tepencuaculcum, arborem Exquahuil Quahuixinanci persimilem, folijs tamen magis orbiculatis, hirsutis, & asperis, crasso cortice, radice surculosa, ac iuxta aquas nascentem. quae adstringens etiam est, & odorata, amara, calefaciens quodammodo, & ad eadem utilis. Nam eius liquor, qui scarificata arbore copiose fluit, oculis inflammatione laborantibus mire subuenit. partes enim habet nonnullas frigiditas, siccitas, & adstringentes. quare non mirum est, si calidas etiam quasdam partes possidens, vincentibus frigidis in ea, id operetur.

De MIZ QVITL, seu Siliqua Acatiae. Cap. XXIV.

ARBOR est Mizquiel frequentissima Nouae Hispaniae, sua sponte in quibusque locis, sed maxime montosis, temperatis, aut frigidis, proueniens, incondita, & spinosa, folijs exilibus, pennas auium imitantibus ordine, vtraque ex parte

parte ramorum dispositis, flore Betule nostratis proximo, ac siliquis edulibus longisq. & dulcis, pergratiq. saporis, refertis semine, vnde fortita est nomen, hinc & inde dependentibus. è quibus placentulas parant *Chichimecarum* gens vicem, illis præstantes panis, veluti ex varijs seminibus, radicibus, ac fructibus alijs. Hac est verissima antiquorum *Acatia* & quæ germanum Gummi Arabicum fert, cuius hic ingens est copia, & incuria fortassis pudenda adhuc incognita, & in nostrum orbem nondum deportata, neque est vnica eius species, sed plures. frigida, siccaq. & adstringenti constant natura. liquor è tenerissimis huius arboris turionibus defluens, expressusq. aut aqua vbi aliquandiu iisdem maderint, illira mirum in modum oculorum morbis auxiliatur, aut ius decocti corticum nimium mensium fluxum compescit. qui menses si primiparæ sunt. (vt hoc obiter attingatur) tinea, & lichenibus medentur. Sunt qui *Hoaxin*, *Hacacolori*, & alias nonnullas arbores quæ apud Nouam Hispaniam proueniunt, in *Acatia* referant differentias.

Prosper alpinus inter alias Ægypti plantas, & hanc veterum Acatiam descripsit, cui si non eadem, saltem congener iudicari debet.

De MIZQUITL MICHVACANENSI Acatia No. Hisp. II. Cap. XXV.

VOCANT *Michuacanenses* suam *Mizquitl* *Tzintzequam* spinis carentem, & folijs exilioribus *Mizquitl* vulgari, quæ etiam *Acatia* species est, & Gummi vocatam Arabicum quam optime fundit, eisdem habens usus & vires,

De HUCIPOCHOTL HUAXACENSI Ricini No. Hisp. Cap. XXVI.

ARBVSCVLA est *Hucipocho* *Huaxacensis* vitium modo serpens sinuosus, ac tricuspibus folijs, floribus coccineis paruis, & aggregatis in comam. vnde generantur fructus Nucis penè Ponticæ forma, ac magnitudine, sed ternos includentes Ricini more candicantes nucleos, toto anno folia, flores, & fructus fert. Nascitur apud *Huaxacenses*. dulcis est, calidaq. & humida, aut moderate frigida temperie. Liquor stillatitius vires elanguescens instaurat, reficitq. vt homines pene mortuos ferant exsuscitare. idem refrigerat, & impingit aut ipsa arboris folia oleris vice deuorata, nitidumq. reddunt colorem. lacryma stillans è perfractis germinibus, inflammationi oculorum mirum in modum confert. Nuclei quini, aut, si robustior homo sit, septeni emundati a quadam illos tegente membrana, vacuât egregiè pituitam, & bilem, per superna & inferna, vsque adeo securo euentu, vt vel leuis momenti re ingestæ medicamenti huius vis si ita expediat, coerceatur. Allata est eadem a Panucensibus, stipite cubitali, subalbido, lento, leui & spinifero, vbi vocant *Tzapeloach Quahuil*, aiuntq. lac eius firmare dentes, & carnem exhaustam instaurare.

Sine dubio inter Ricini genera reponenda est hæc planta, vires tamen ipsius non sunt tam vehementes, ac in America illo de quo Cusius in annotationibus ad Monardem, ait dimidiam tantum partem vnius grani valde per superiora & inferiora purgare. Huius validi Ricini semina Romæ vendidit quidam agerita magno sanè numero, cuius

vnum



SASAFRAS.



attenuans & exiccans sit, vt in cæteris luis Venereæ alexipharmacis. vtaturq. pro potu secundo decocto. idque habita prius vniuersi corporis ratione. Sunt

F

qui

vnum semen sive granum sumptum quibusdam vicies aluum mouit, sapore initio dulce est, sed dein vrit instar Cocci Cnidij; potest etiam fieri vt Ricini ab Auodore descripti semen, eandem vetustate induat acrimoniam, sicuti videmus in Zingibere, euenire, cuius radix recens in acetarijs ob multam humiditatem coniu-ctam editur.

De Arbore à quibusdam SASAFRAS vocata. Cap. XXVII.

ARBOR est magna *Sasafras*, folia ferens crenata, & in tres partes diuisa, stipites leues, subrubeos, & Anisumolentes. nascitur in prouincia Florida, & Michuacanensi. Calida constar, & sicca natura, ordine circiter tertio, & subtilibus partibus. quare Cholice, Iliacisq. opitulatur, necnon difficultati vrinæ, renumq. morbis, dum tamen à frigida causa contingant. flatum discutit, & obstructions aperit. internas partes roborat, Asthmatis, alijsq. thoracis vitijs à prædicta causa ortis, opitulatur. Vomitus cohibet, coctionem iuuat, aluumq. subducit. Vtero conferit, sterilitati medetur, mensesq. mouet. lue venerea laborantibus instar cæterorum alexipharmacorum opem præstat. Dentium dolores sedat, & fluxiones absumpra causa, inhibet. Ius decocti ramorum, trunci, radicisq. præsertim corticum, sumendum octo vnciarum pondere, mane quatuor horis ante omnem cibum, sudorq. seruandus. Decoctum paratur ex media vncia radicis cum cortice assulatim incisarum, ac maceratarum per noctem in duodecim libris aquæ fontis. coquanturq. lento igne ad tertias Huius decocti parandi, & vrendi ratio, variatur pro laborantis corporis habitu, natura, temperamento, viribus, ætate consuetudine, & anni tempore. Ratioq. victus

qui simplici decocto vtantur pro potu, aut solo, aut vino cum eo diluto, nulla præcedente vniuersi corporis vacuatione, neque ratione victus seruata. Debilibus, tabidis, & præter naturam extenuatis, huius decocti vsus aduersiffimus est.

Ad quod arborum genus referri debeat ex solo folio iudicare admodum est difficile, ex fructu vero qui hic deest facillimum esset. admodum aromaticum est hoc lignum vsusq. plurimos habet, præsertim in lue venerea: decoctum eius si fiat ad tertias valde multum deperdit olei fragrantissimi, vnde commodius fiet in vesica cuprea superimposito alembico cupreo, intus tamen probe plumbo albo obducto, sic enim eadem opera habetur, & decoctum, & oleum.



De TOCPATLI.
Cap. XXVIII.

ARBVSCVLA est Tocpatlis nascens in planis, calidisq. locis, furculosis innixa radicibus, vnde oritur stipites, & in eo folia syluestris Raphani, magna, ferrata, hastarum mucronibus haud dissimilia, ac flores candicantes. Radix acris, odora, & nonnihil adstringens est. calefacit, exiccaturq. ordine tertio. medetur Gallico morbo ius decocti foliorum & radicum eius, siue bibatur, siue erumpentibus tuberculis applicetur: qua radice ego libentius vterer (modo frigidi essent & tenaces humores, quales solent per eos morbos magna ex parte dominari) quam cæteris plantis, quarum est vsus apud Indos, & Hispanos

ad prædictum affectum curandum. Eadem radix tusa, illitaq. splenem comminuit, & pristina restituit sanitati.

De HOAXACAN, seu Ligno Sancto.
Cap. XXIX.

HOAXACAN vocant Indi eam plantam, quam alij *Matalquan-bilt*, seu Cyaneam, tale enim est eius cor, seu medulla. arbor est mediocris magnitudinis, strigosis & inconditis stipitibus, ac veluti spinosis, folijs verò paulò rutaceis maioribus, longioribusq. & Cyaneis floribus. Cortex est cinereus, & si qui crassiorem stipitem vestit, fit fuluus. lignum pallet, ac medulla, vt dixerim Cyanea est, vnde sumpsit nomen. cortex est abun-



HOAXACAN, LIGNVM SANCTVM



est abundè amarus. quò fit vt calidus ordine secundo, cum folijs quoque ipfis haberi possit, cum manifesta siccitate. etsi medullam non senserim amaram, referre verò quos effectus præstet in curanda Gallica lue, alijsq. diuturnis affectibus capitis, thoracis, ventriculi, epatis, lienis, renum, artuumq. doloribus, aut quis sit administrandi modus in tanta luce superuacaneum duxi. Nascitur in calidis Texocanis, & Misticæ inferioris. & apud Haitinos quoque provenit.

GVAYACAN.

GVAYACAN est arbor Iuglandis, vel Nlicis magnitudine cuius cortex colore, extrinsecus cineritio permixtis tamen multis maculis viridibus intrinsecus verosub-ruber, non admodum densus, sed immodicè

durus crassitudinis nempe semidigitalis, is ligno recenter casso, adeo firmiter haeret, vt vix ferro separari queat, progressu vero temporis facile seungitur.

Lignum in extremis colore qui in Buxo interne nigrescente conspicitur, & medullium eius est maximum, totumq. adeo lignum splendida quadam donatum duritie.

Pinguitudo eius resinaceum quid spirat, vriturq. odore non insuavi, & ab altensso gummi profluit, quod prædurum est vbi refrixerit.

Pondus eius quale nulli præterea ligno, nulla eius quantumuis minima pars, in Aqua fluitat, sed mergitur continuo, & subsidit, vnde lignum est fortissimum quod duritie omne robur superat, & idcirco quam minime hiat, neque facile videas quod rimas traxerit.

Sapor non ingratus amarus statim, tum acrimonia miti palatum ac fauces compungens, qui semel cognitus, nunquam errare sinit emptorem in cognoscendo.

Decoctum eius estate vltra tertium diem non perdurat.

Folium crassum, paruum durum viride multis venis distinctum quidam arbutis comparant, in ramo situm habet ex opposito alterius, vt in Siliqua vel Lentisco videre licet, quaterna vel sena.

Flores multi quasi Umbellam, vel Corymbum constituentes, pediculis vncialibus insistant pallidi lutei, senis constantes foliis multis, e medio staminibusq. prodeuntibus in quorum medio rudimentum, fructus bursam pastoris effigie refert.

Fructus à quibusdam Castaneis ab alijs prunis similis refertur duobus lupinis sibi coniunctis, aliquando etiam tribus, vt Clusius refert, vel aceris fructibus, sed sine alis constat, cordis figuram eleganter exprimentibus leuissima porro distractione vnum ab altero sicut & aceris fructus diuellitur.



Longitudo est transversi digiti, latitudo paulominor, color totius cortis Castaneus aliquantulum corrugatus, Pruni instar, in coniunctione cum altero fructu membrana est densitate, colore, duritie persimilis, ei que Luglandis semen bisariam dividit.

Corium externum corrugatum mollius est, internum vero nucis interno putamini duritie, & colore responderet: eius densitas, in Icone ad vinum expressa.

Nucleus intus conclusus, apposita figura exhibetur, colore & varijs venarum ductibus Nuci Myristicæ, Nuci Muscati, vel Buxi radici admodum similis, hunc si diu in ore voluas, quasi pulpam quandam abradis, que acrimoniam

manifestam lingue imprimat, & nucleus in recenti fructu manet coloris Castanei, quasi transparentis, in alijs vero omnino niger.

Nucleum si secundum longitudinem findas, duritiem Dactylorum offendes totumq. osseum flavum in recente cinereum in obsoleto, albe autem lineæ transversim paralleles, totum pertranseunt, ut admodum eleganter Lyncurium sine Belemnitem radiis splendore referat.

In medio eius cavitas est longa à summo ad imum pertingens, sed sine vlla fere latitudine qualis in Euonymo etiam conspicitur, ubi seminis duo ovalia, sed plana viridia quasi foliola seiuncta in summo vniuntur, corq. extrorsum versus componunt ad modum planè Euonymi, nisi quod cor in Euonymo versus pediculum sit constitutum.

Que omnia mihi videre licuit munere D. Henrici Coruini in re herbaria peritissimi, qui fructus hos sibi missos mihi dono dedit.

Creviscit hæc arbor in Hispaniola, & in continentis regione Nagrando dicta, tanta copia ut numero superent Pinus Hispania.

LIGNVM SANCTVM.

ARBOR est admodum similis Guayaco, sed minor magnitudine Populi, Stipitibus velut spinosis, cortex magis quam Guaiaci pustulosus, cætera similis, cinereus, maculisq. conspersus, intrinsecus vero obscure rubet, & in recenti ligno etiam facile separatur.

Lignum à Guayaco differt meditullio quod in hoc est paruum & in ramis nullum. Ipsius ligni color magis albeat, & ad luteum quandam colorem vergit; Meditullium parè nigrum ad viride inclinat, euidenter, imo Cyaneum est in viridi ut nomen Hoaxacan traxit originem.

Tractanti nullus odor occurrit, emulatur tamen Guayaci odorem, ut in decocto & oleo eius distillato patet, qui tamen in integronon percipitur, adeo terreis partibus permixta est, ut ne ab inflammato quidem, nisi parum admodum defluat, cum tamen per destillationem plus olei, quam ex Guayaco extrahatur.

Pondus Guayaco idem est, æque enim cito in aqua subfidit.

Sapor

Sapor amarus, sed acrimonia longe maior, & euidentior, adeo ut amaritudo ab hac oppressa non statim percipiat, ideoque Piperis instar, fauces pungit, mordicat, & puluis eius naribus inditus siernuimenta ciet, vnde longe ab incolis ob vires, Guayaco præfertur, nec enim tantum lucem venerat, & quidem facilius curat, sed & multos alios morbos, quibus Guayacum non sufficit, expugnat, & ob viros suos effectus in maiore est vsu, & Ligni Sancti nomen non sine ratione obtinuit, quamuis immoderato vsu, & caloribus vehementia, possit hominem nimium excalefacere, decoctum eius, & amarius est, & magis odorum quam Guayaci, flavumq. colorem magis habet intensum.

Folia exigua rutaceis paulo maiora Lentisci modo bina ex aduerso posita, & ordinata sunt, ita ut nullum vnicum sit, in extimo quod quidem in leguminibus plerumque euenit.

Flos Vincæ Peruvine admodum similis est colore, & figura, sed sine aliqua longitudine eiusq. foliola quasi duplicata, sibi superposita apparent, florum etiam coniunctio ex pictura videtur ad Corymbum accedere.

Fructum auctor non addidit nascitur copiose in Insula Borichen, que nunc S. Ioannis ab Hispanis appellatur.

EX viraque ergo descriptione, & figura manifestum est, has duas arbores, inter se specie distinctas esse, quamuis sub eodem proximo genere contineantur sic enim & Uites, & Pyri, & Mali infinitas sub se species, continentes, suis tamen generibus conveniunt.

Hæc eo dico, quod cum ante octo annos, Lignum Indicum ex Hollandia Romam allatum esset, magna inter medicos, etiam libellis editis altercatio nata fuit, an Lignum illud esset legitimum, an vero repudiandum, quidam enim vnam tantum Guayaci arborem esse asseriebant, ideoque hoc tanquam Pseudo lignum omnino repudiandum; alij vero auctoritate Ouedi, & Monardis suffulti, duo diuersa genera esse statuebant, illudq. Guayacum, hoc vero Lignum Sanctum, appellari debere asseriebant, non obstante nominum, aliquando confusione. Quæ quidem posterior sententia, ut ex supradictis patuit, à quovis veritatis studio, merito est recipienda; cum ipse planta ita quidem distinctæ exhibeantur, ut eas specie differre cuius pateat, merito tamen sub eodem genere reponi debeant.

Cui porro arborum generi hæc due sint adscribende, diu dubitavi, & etiam nunc hæreo. Putavi aliquando, Euonymo illas congenere dici posse, sed quibusdam argumentis obstantibus ab ea opinione recessi.

An ad Buxum referri possint nondum plane apud animum meum decrevi, quamuis multa id videantur suadere. Itaque hæc de re, post maturiorem deliberationem amplior aliquando discedendi dabitur occasio.

Plura qui volet Ouedum adeat in historia naturali Indica, & Monardem ubi ipsam Guayaci arborem cum fructu, & floribus à Clusio depictam inueniet, in qua tamen desidero duorum illorum fructuum seiunctionem à pictore minime expressam videat, & omnes qui de lue Venerea conscripserunt Medicos.

De TOHVVALXOCHITL, seu Flore nocturno. Cap. XXX.

YOHVALXOCHITL, quam quidam Cozquaquabuitl vocant, alij vero Tabaalxochitl, seu florem orbicularem, arbuscula est, Folia Ebuli,

F 3 Sam-

Sambuciq. ferens (ad quorum species est fortassis referenda, nisi quis malit ad Vitis syluestris species pertinere) sed minime ferrata; umbellas Sambuci, e flo- sculis aggeratas orbicularibus, & pallentibus, interdiu (vt ferunt) contractis, & hiantibus noctu, vnde acini sunt racematim dependentes, initio virides, deinde coccinei, & tandem purpurei. radices verò resinosi saporis, glutinosas, & gustus nonnihil odori. Nascitur *Chapultecci* non procul ab vrbe Mexicana, mon- rosis, editisq. locis, nec non in vallibus, planisque. Floret Iunio. Calida, & sic- ca ordine secundo constat natura, & sapore amaro. tumores apposita discutit, aut maturat, & rumpit. quibusdam epota ex aqua sudorem euocat, & alijs al- ium ciet. puluis eius medetur inspersus vlcibus insanabilibus. & confert scabiei lepræq. Auxiliatur etiam resolutis, & vterino affectu laborantibus. Sunt qui edant folia frisa expresso prius succo medicinae gratia, asserantq. ita corpus extergere, atque impinguare, & vt carnem instaurat exesam, & casu aliquo exhaustam, sic superuacaneam citra vllam noxam sensumue doloris, corro- dere, & absumere. vanos tumores pellere pectori imposita folia. & syncopen inde profectam tollere.

De *CATOLIZAN*, seu *TEPOCAN*. Cap. XXXI.



ARBOR est *Catolizan* mediocri- magnitudinis, Folia ferens Saluia, sed maiora, à quibus apud nonnullos indi- genas Hispanos inuenit nomen, inferna parte subalbida, & supernè virentia, pingua, & Verbasci modo hirsuta, lubricaque. Flo- rem in postremis ramis modicum, ac lu- teum, & in Corymborum formam veluti compositum. Odorata arbor est, & calentis naturæ, thus citra distinctionem vllam re- dolet. Calidis regionibus (nam in his quoque aliquando prouenit) minoribus ornatur so- lijs, latioribus verò temperatis, etsi vbique nascitur, neque vllum refugit solum, fertile maximè, & humectum. Ius decocti corti- cum, stipitis, atque radices ebibitum vterinis confert affectibus, ac vuluam proprijs resti- tuit sedibus. vrinam euocat, emundatq. cor- pus. Ipsæ verò radices, corticesuè, aut folia imposita tumores præter naturam dissipant, aperiunt, atque extergunt, velut & quæ- cumque alia vlcera, vffionibusq. medetur.

De



De *NANAHUA* seu *VAHVITL*, seu morbi Gallici arbore. Cap. XXXII.

ARBOR est magna *Nanahuqua- huil* comata, & excelsa, folia fe- rens Oleæ similia, paulisper odorata, ama- raque. Decocti ius matutino liberalius ebibitum, Gallico medetur morbo. na- scitur temperatis, humidisq. *Hociaco-* corla locis.

Fructus è Trunco enatus racemos oblon- gos componit, cuius pediculus quidem ru- bet, bacca vero sunt virides, flos in ima- gine non conspicietur.

De *QVAVHTLEPATLI*, seu *Arbore Ignea*. Cap. XXXIII.



QVAVHTLEPATLIS, quam Miquahanenses *Chupireni*, seu *plati* tam *Igneam* vocant, arbor est, Lauri effigie spectabilis, folia ferens oblon- ga, maiora, latioraque quam Amygdali; flores in rosam conformatos. eamq. arbo- rescentem fruticem esse dicimus, quem Dioscorides appellat *Rhododendron*. Lac fundit vrentis naturæ, & tamen aiunt Indi, quatuor obolorum mensura deuoratum, perquam commodè vacuare pituitosos humores cachecticorum, gallicamq. lucem patientium, atque hydropicorum. præci- pue si à frigida causa talis euenerit mor- bus. Verum ego non crediderim, vehe- mentissimum istud medicamen, citra no- xam intra corpus posse assumi. Quam- obrem commodius adhibebitur (quod & Indi experimento testatissimum esse di- xerunt) vmbilico modica quadam por- tione, atque ita quoque purgabit corpus.

Cuta-